

§. XVIII.

Breviter hæctenus &, ni fallor, satis luculenter de hortis egimus, quatenus quidem ad vitæ sustentationem faciunt: Quod iidem ob sanitatis conservationem & restitutionem culti fuerint, declarandum nunc est. Quemadmodum verò præter injuriam illum *œconomicum usum* dicimus; sic citra invidiã hunc *usum* hortorum *medicũ* appellamus. Resultat verò usus medicus ex insigni herbarum virtute: herba enim nulla est, cui non sua cœlo indita vis sit & robur, quo pugnet adversus affectum malignum acerrimè. Benè hoc ex recentioribus Poëta exprimit, unde non possum, quin ipsius verba elegantissima sanè huc transcribam:

Magnus inest herbis vigor, & vis insita cœlo

Graminibusque sua est: nihil est tam vile, sacratum

Quin medicamen habent. Ulbo malvæque potestas

Est sua, & urticis.

Atque hinc factum est, ut multi ex veteribus Græcis potestates & vim herbarum ex diuturnâ observatione traderent, quod fecit *Orpheus, Musæus, Hesiodus* & antiquitatis parens *Homerus*; ex quo quæ ipse de *Circe* habet & *Medeâ*, laudabili conatu huc trahit *Plinius Hist. Nat. 25. c. 3.* Idem quoq; fecit *Evax* Rex Arabum, qui de simplicium effectibus ad *Neronem* scripsit; *Cratæus, Dionysius* & *Metrodorus* ratione quidem blandissima, sed *Plinii* iudicio ita, ut nihil inde aliud, nisi rei ipsius difficultas, intelligatur. Præterea non satis fida, minusque tuta erat illa veterum hortensis medicina; fingeant enim effigies herbarum, atque ita subscribebant effectus. Sed quàm sæpe fallat pictura, præsertim in æmulatione naturæ & magno transcribentium numero, nemo est, qui ignoret. Huc accedit, quod sub una specie pingi admodum parum esset, cum quadripartitis anni varietatibus singulæ ferè herbæ faciem suam mutant. Crescente igitur ætate artes quoque crescebant & hominum notitia, ex multiplici experientia nata. Quare alii verbis tradebant, quod illi exprimebant pictura; sed ita, ut declaratis effectibus nuda tantum nomina herbarum traderent: His enim satis erat vim & potestatem demonstrare